



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ab eis nullatenus revocarat, quòdque ipsi darent fideliter operam efficacem ut compositionem faciendam à nobis idem Archiepiscopus observaret. Nos igitur postmodum deliberato cum fratribus nostris consilio, attendentes tam vobis quam adversæ parti multipliciter expedire controversiam ipsam concordia potius quam iudicio terminari, compositionem hujusmodi de partium conniventia inter vos duximus faciendam, ut Episcopo vestro defuncto, Salzburgenfis Archiepiscopus vocatus à vobis ad Ecclesiam Gurcensem accedat, & tres personas, unam videlicet de gremio ejusdem Ecclesiæ, quam utiliter bona fide crediderit tam ad regimen præfulatus quam etiam officium vicariæ, ac duas extraneas, vobis denominare procurer, vos verò seorsum super denominatis vobis personis diligenti deliberatione tractetis, & vobis tandem ac eodem Archiepiscopo in Capitulo residentibus, is ex denominatis personis ab Archiepiscopo primùm in Episcopum & Vicarium & consequenter à vobis in Episcopum eligatur in quem omnes vel saltem major pars vestrum penitus consensissent, ac postmodum electione ipsa per Decanum vel Præpositum seu quemlibet alium Ecclesiæ vestræ Canonicum ad hoc à Capitulo deputatum solemniter publicata, electum ipsum Salzburgenfis Archiepiscopo, utpote Metropolitanò vestro, præsentare curetis, ab eodem confirmationis beneficium receptorum, cui Metropolitanus ipse sine difficultate qualibet tam confirmationis quam consecrationis munus gratanter impendat. Ne verò cujusquam machinationis astutia circa hoc aliquid in Ecclesiæ vestræ dispendium attentetur, auctoritate omnipotentis Dei patris & filij & spiritus sancti, ex parte quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostræ, excommunicationis sententiam interponimus, quam Salzburgenfis Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, incurrat si quando de gremio Ecclesiæ vestræ quemquam denominare præsumpserit nisi quem ad præfulatus regimen & officium vicariæ utiliore æstimaverit bona fide. Quam compositionem procuratores ipsi pariter approbantes, eandem humiliter receperunt. Nos etiam ad postulationem eorum compositionem eandem juxta præscriptam formam factam à nobis, & ab ipsis procuratoribus, sicut præmissum est, approbatam, auctoritate apostolica confirmamus, statuentes

ut nec sententia nec privilegium aut quòdlibet aliud instrumentum huic compositioni unquam obstat, quin etiam quantum ad hoc penitus sint invalida, ut ipsa compositio sine quovis obstaculo robur obtineat perpetuæ firmitatis. Nulli ergo &c. nostræ compositionis, confirmationis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum Anagninæ Nonis Junij, anno undecimo.

**I**N eundem modum scriptum est Salzburgenfis Archiepiscopo.

**EPISCOPO AMBIANENSI.**

**O**blata nobis tuæ fraternitatis litteræ continebant quòd cum interdum quidam qui jus patronatus in quibusdam Ecclesiis tuæ diocesis obtinent, auctoritate nostra mereantur excommunicationis vinculo innotari, easdem Ecclesias multo tempore vacare contingit, patronis ipsis propter excommunicationis impedimentum potestatem non habentibus præsentandi. Vnde quæsisisti à nobis an post sex menses in tali casu tibi liceat easdem Ecclesias personis idoneis assignare. Quocirca fraternitati tuæ præsentium insinuatione mandamus quatenus patronos ipsos moneas efficaciter & inducas ut pro iis satisfacere studeant pro quibus dinoscuntur excommunicatione notati, ut sic beneficio absolutionis obtento, personas idoneas ad prædictas Ecclesias valeant præsentare. Si verò tuis monitis obedire contempserint, post sex menses à tempore vacationis appellatione remota personis idoneis Ecclesias memoratas assignes, ita quòd ex hoc patronis ipsis nullum in posterum præjudicium generetur. Datum Anagninæ Idibus Junij, anno undecimo.

**E I D E M.**

**T**ua fraternitas requisivit à nobis utrum aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetraret adulterium manifestè, an uxore agente pœnitentiam de commisso & veniam humiliter postulante, vir cogi debeat ut eandem maritali affectione pertractet. Super quo tibi taliter respondemus, quòd cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare. Datum ut in alia.

**NIVER-**

Epist. 100.  
De supplicia  
negligentia  
patronorum.

Epist. 101.  
Non debet se  
parari matro-  
monium quan-  
do ambo con-  
juges sunt a-  
dulteri.  
Cap. Tua fra-  
ternitas. De  
adulteri.